

strationis exigit, contrà nitentibus Ciuitatis Re-  
ctoribus, & pluribus ex nobilibus occurribus,  
qui eo possint, & gaudent officio decorari? Hæc  
iustificare velle est nigrum velle facere ex albo,  
seu potius album ex nigro, & curuum velle re-  
ctilimum appare.

**Affertio 2.** *reptorum  
electio ne-  
quit, nisi  
grauiter  
peccando,  
confirmari.*

95 Dico secundò. Si electio talis sit, vt elec-  
ti à Capitulo Proregi videantur inepti, peccabit  
grauiter, si eos confirmarit. Id planum; quia  
mala electio nequit saluā conscientiā confirmari;  
id enim est malo robur addere, quod pessimum  
malorum est, confirmatio enim auctoritatē tri-  
buit, qui est vñus eiuldem effectus, inter alios, de  
quibus Glossa in Cap. Quia diuersitatem, de con-  
cessione Præbenda. Et res est manifesta. Potest  
autem hoc prudenti animaduersione caueri. Ante  
electionem siquidem spargi in vulgo solet de a-  
liquorū electione tractari: quæ vox ad Proregis  
aures nequit non deferri, ad quas minutissima alia  
deferuntur. Reætores ergo ciuitatis admoneat ne  
tale velutē eligant: quo pacto ad dñū illū repro-  
banda electionis non deuenietur articulum. Ne-  
que hoc est libertati electionis obstar, sed eam  
dirigere, quod Proregalis est muneris, sicut con-  
trarium ipsi id, quod *Affertio precedenti* dice-  
bamus.

**Quomodo  
illa prude-  
ter euian-  
da.**

96 Pro quo juuat easum apponere, qui eo  
ipso, quo hac scribam, die accedit. Cum enim  
Prorex duos equites sibi benè viros eligendos  
veller, idque diu ante electionis diem fecisset Ca-  
pitularibus manifestum; annuerunt illi, cum esset  
periculo expoſitum repugnare. Die ergo elec-  
tionis accedente Prorege, assurerunt omnes  
& dixerunt suæ voluntatis esse vt duo dieti equi-  
tes ordinarii judges crearentur, quando sic Ex-  
cellentia suæ placitum agnoscebat. Cumque  
Prorex eā videretur acclamatione contentus,  
secreta est admonitus ne tales electionis mo-  
dum admitteret, sed vñitatum per suffragia omni-  
no secreta obseruandum imperaret. Eo, vt vide-  
tur, intuitu, ne aliquando Proregi ablatæ liber-  
tatis in electione capitulum posset opponi. Tunc  
ergo ille fe in tale electionem non consentire  
refpondit, & vt per suffragia in vñnam missa cele-  
braretur iniunxit, testatus se liberā velle penitus  
electionē. Factū sic quantum ad suffragationē &  
omnium suffragiis illi ip̄i, qui acclamari fuerant,  
sunt iudices designati. Quis iam hic simularā illam  
liberē electionis voluntate non rideat? Si alios eli-  
gerent, qualem Principis indignationem incur-  
rent? Prior quidem electio libertati eligen-  
tium contraria vīa est: Atqui & quā secuta sta-  
tim alia esse non potuit, neque quod erat ab om-  
nibus dictum retractari; alias mendaces & viles  
ita fibi contrarii homines haberentur: ergo li-  
beratas in eā labefactata deprehenditur. Vbi, si  
bona non adfuit fides (vti est adfuisse credibile)  
quis possit violatæ iusticiæ piaculum manifestissi-  
mum excusare? & bonam quidem fidem genera-  
liter loquendo, desiderare magis possumus,  
quam firmare in iis, qui circa hæc le, vt debent,  
instruētissimos profitentur. Quamvis sciam aliam  
quandoque in aulis Theologiam ab eā diuersam,  
quā in scholis didicimus, & probatis Auctoribus  
legimus, practicari.

**Affertio 3.** *Peccatum  
esse graue*

97 Dico tertio. Peccatum est graue eos eli-  
gi, & confirmari, qui administrati officii ratio-

non, quæ in syndicatu reddi solet, minimè red-  
diderunt. Id constat; quia pro eo est lex, &  
materia est graui, in cuius obseruatione magnū  
est boni publici momentum constitutum. Quod  
generaliter loquendo verum est: potest tamen  
exceptiones aliquas habere. 1. Si per electum  
non steterit, sed aliunde sit redditio retardata. 2.  
Si iam diu administratio præcessit, neque est arte  
aut dolo circa impenitionem actum. 3. Si nihil  
rumor sparserit de moribus eiusdem minùs in of-  
ficii administratione probatis. Tunc enim vide-  
tur finis & ratio legis cessare, & ita illius obligatio;  
iuxta dicta Titulo preced. num. 95.

### CAP V T XIII.

De Preregum Indicotum obligationi-  
bus circa grauamina impositionum,  
sive exactiōnum.

#### S. I.

Non licere illis. Pro quo Assertiones tres.

98 **D**iversis solent illæ nominibus expli-  
car, de quibus Auctores commu-  
niter, & videri specialiter poslunt *nominis ex-  
P. Molina Disput. 661. & duabus seqq. P. Thomas actionum.  
Sancius Lib. 2. Consiliorum, Cap. 4. dub. 1. & P.  
Fragosus Tomo 2. lib. 1. Disput. 3. §. 5. num. 110.  
& 111. & solent omnes gabellæ nomine desi-  
gnari, in quibus vna est specialis, de qua hæc  
agendum, & vocatur Affiliū, Hispanè Sis, qua-  
datur de rebus emptis ad cibum & potum perti-  
nentibus. Parum autem curandam nominum  
diuersitatem obseruat Cardinalis Lugo Disput. 36.  
de Iustitia, Sect. 1. num. 1. qui tamen illa explicat,  
num. 2. Circa quæ*

99 Dico Primò. Preregis sine Regis licen-  
tiâ nequeunt genus vñum publicarum exactio-  
num imponere: & aliter facientes grauiter pec-  
cant. Est iuxta omnes Doctores, qui potestatem  
imponendi gabellas in solis supremis Principi-  
bus recognoscunt, non recognoscuntibus supe-  
riorem in ordinariâ gubernatione, si vñum An-  
gelum excipiamus. v. Pedagium, qui solum Regem  
Romanorum eā prærogatiā gaudere contendit,  
non solum contra omnes, sed contra Textum lo-  
cutes apertum, vt statim patet. De Preregis  
autem id specialiter tradit P. Lessius Lib. 2. sc. 33. n.  
13. Bonacina Tomo 2. dis. 2. de Restitutione Quest. 9.  
Puncto 1. n. 1. Pharaonius in Appendix tr. 2. Sect. 10.  
Caso 6. Cardinalis Lugo supr. n. 6. secutus P. San-  
cium etiam supr. Dub. 3. alias referentem. Pro  
quo est manifesta decisio in Cap. Innotamus, de  
Cap. Inno-  
censibus, vbi ita loquitur Alexander Tertius: Nec uamus.  
quisquam alius nouas pedagiorum exactiones sine aucto-  
ritate & consensu Regum & Principum flatuere ali-  
quomodo presumat. Si quis autem contra hoc fecerit,  
& communius non defiterit: donec satisfaciat com-  
munione careat Christiani. Hæc Pontifex. Ex qui-  
bus in primis contra Angelum constat Reges &  
Principes posse gabellas imponere. Deinde im-  
positiones ad eos solummodo pertinere. Vbi *Ad Peda-*  
*nequiti dici Pedagi nomine speciale debere ge-*  
*niūm non arlanda.*

**Affertio 1.** *non licere  
Preregibus  
eas impon-  
ere, & ali-  
ter facien-  
tes grauiter  
peccare.*

**Pro quo**  
*Pontificia  
deciso.*

97 Dico tertio. Peccatum est graue eos eli-  
gi, & confirmari, qui administrati officii ratio-

*non fundi-  
catos eligi  
& confir-  
mari.*

*Exceptiones  
aliquot.*

### Quid Prereges Indici possint circa gabellarum impositionem. 89

lionem & reparationem viarum destinata. Ex-  
plicatio enim omnino est Pontificis menti  
contraria, qui de reparatione aut defensione via-  
rum non erat solitus magis quam de aliis, ne-  
que erat cur de illis specialius cogitaret, cum spe-  
ciale inde grauamen non amplius immineret,  
prætermittendo alia frequentiora, quibus fideles  
durius possent aggredi. De gabellarum ergo  
impositione generaliter locutus, pro quibus erat  
ratio eadem, & ita Doctores mentem eius intel-  
lexerunt, & vñanimitate declararunt.

100 Neque est simile quod in Bullâ Cœnæ  
habetur in Excommunicati. 5. contra eos, qui peda-  
gia & gabellas imponunt, & augent &c. Ex qui-  
bus colligunt Hugolinus, Caetanus, Sayrus,  
Duardus, Bonacina, & alii, quos sequitur P.  
Palau Parte 6. Disput. 3. Puncto 6. num. 3. & vide-  
tur etiam placere Patri Suario Tomo 5. in 3. p.  
Disput. 2.1. Sect. 2. num. 42. non excommunicari  
eos, qui imponunt tallias, collectas, seu præstan-  
tias, in quibus non rerum, sed perfornarum habe-  
tur ratio, quia per capita imponuntur: cum enim  
lex poenalis sit, non debet, nisi iuxta verborum  
accipi proprietatem. Non est inquam simile,  
quia diuersa est ratio, cum de personis, aut cum de  
rebus agitur; & ita quod de quibusdam dictum,  
ad alias non debet extendi. At in vestigialibus  
eadem est omnino ratio, vt vidimus, & ita intel-  
ligendum Doctores censurunt. Vbi & adden-  
dum legem illam esse favorabilem: Regibus qui-  
dem, quorum supremæ auctoritati consultur,  
sicut & allorum supremorum Principiū. Tum  
etiam bono publico, ne fideles exactiōnum mul-  
tiplicatione grauentur: neque impropriantur  
verba, sed in minus visitata acceptione sumuntur:  
vel potius non iuxta primiū nominis imposi-  
tionem, sed iuxta vitum postea subsecutum; vt  
in nomine gabellæ vide licet, cuius primiū  
impositio a vecchie deducta, eō quid merces  
conuehantur; & tamen ad alia solet extendi, que  
non aliunde conuehantur, vt in affilio constat, &  
in guidagio, quod pro ducatur per viam soluitur  
ratione securitatis, vt ait Glossa in Cap. Super  
quibusdam, de verborum significat. Et id est de  
pedagio, quod ad omnem exactiōnem extendit  
in Cap. Quamquam, de Censibus in Sexto: Prä-  
terquam quod excommunicationem ad colle-  
tas imponentes extendi tenet aliqui, quos  
adducit, & sequitur P. Fillius in 1. 6. n. 108.

101 Dico secundò. Preregis in casu dicto  
non incurrit in excommunicationem Bullæ  
Cœnæ, constat ex illius tenore: anathematizan-  
tur enim omnes, qui in terris suis noua peda-  
gia seu gabellas imponunt, &c. Tantum ergo ex-  
communicantur terrarum domini non agnoscen-  
tes superiorē. Et ita explicant conaminter Do-  
ctores, verba predicta perpendentes, ex quibus P.  
Suarez supr. n. 40. & P. Palau etiam supr. n. 4. id  
quod est mihi certissimum: & probabile etiam, non  
recognoscentes superiorē præstatā minimē exco-  
municatione ligari, si tributa imponant iniusta sua  
excedentia potestatem: quod tenet P. Suarez  
supr. num. 38. Potest autem congrua reddi ratio:  
nam Preregis, cum temporari sint, & syndicati  
subjici, cauebunt huiusmodi excessum, qui  
faciliè poterit aut in gubernationis fine, aut que-  
relis ad Regem delatis submoueri. Domini au-

**Affertio 2.** *Preregis  
no  
incurrire  
in exco-  
municatio-  
nem Bullæ  
Cœnæ.*

**Pro quo**  
*Pontificia  
deciso.*

Theauri Indici Tom. I.

tem terrarum non ita se habent: & licet grauati  
conqueri apud eos possint, id ipsum periculo plen-  
um est, indignationem Dominorum ea de causâ  
subitur. Non est autem hoc ita certum, vt  
contrarium sententes desint, ex quibus P. Gal-  
par Hurtadus de Iustitia & Iure Disput. 1. 4. diff. 2. &  
Pharaonius supr.

102 Dico tertio. Preregis sine expressa li-  
centia Regis nequeunt publica grauamina exa-  
ctionem imponere, & aliter facientes peccant  
mortali. Sic P. Sancius citato Dub. 3. & Cardi-  
nalis Lugo supr. num. 6. post Bonacinam in expo-  
sitione Bullæ Cœnæ Quest. 6. Puncto 3. num. 11. Li-  
cet ergo Rex illis Regalia concedat, circa oneris  
dicti impositionem non est generalis concessio  
villatenus extendenda. De peccati autem grau-  
itate dubitari nequit, cum sit onus Reipublicæ  
grauiissimum, & ampliatio exitiosissima potestatis.  
Videantur dicta num. 91.

#### S. II.

Circa Sisam notanda quedam, Assertiones aliae.

103 Dico quartò. Onus Affisi, seu Sisam ex  
Regis facultate ad unum effectum im-  
positum, non potest ex Proregis libitu ad alium  
applicari; nec tempus concessionis extendi, sine  
graui piaculo conscientiæ. Sic colligitur ex com-  
muni doctrinâ scriptorum afferentium cessare  
tributi justitiam, quando Princeps non præstat  
ea, pro quibus illud imposuit, & consequenter  
esse iniustam exactiōnem, neque esse obliga-  
tionem ad soluendum. Sic plures, quos adducit  
& sequitur P. Sancius supr. dub. 8. num. 5. P. Val-  
quez opusculo de Restitutione Cap. 6. Dub. 2. num. 25.  
& Dub. 4. num. 54. Cardinalis Lugo supr. num.  
20. 61. & seqq. P. Lessius Lib. 2. Cap. 33. num. 41.  
P. S. v. Gabella n. 5. P. Gaspar Hurtadus Disput.  
14. citat. Difficult. 8. P. Dicatillus lib. 2. de Iustitia  
Tractat. 20. Disput. 3. num. 179. & seqq. Baſtaeus  
v. Gabella numer. 7. & alii: qui de supremis lo-  
quuntur Principibus, vt de Preregibus nulla  
possit dubitatio superesse. Et in illis quidem cita-  
ti Auctores, & alii, quod ad tempus attinet ju-  
piter possumus ex tributum affirmant, licet ultra deter-  
minatum tempus protrahatur, si causa eadem  
perseueret; vel si cessauerit, alia succedat, pro qua  
merito possit imponi: fecus si penitus cessauit,  
& alia non extet æquitalens. Videantur pre-  
sertim Cardinalis Lugo num. 51. P. Valquez  
numer. 66. P. Sancius num. 7. & Nauarra Lib. 3.  
Cap. 1. Parte 3. Dub. 1. num. 251. & 260. Vbi  
quod ad prius attinet, quando scilicet id, pro  
quo est tributum impositum, imperfectum est,  
quia non obstante contributione, & convenienti  
diligentiâ adhibita, perfici non potuit; idem  
prosorsu videtur admittendum, nam voluntas Re-  
gis debet talis testimoni. Licet enim sine expres-  
sâ illius facultate nequeat onus exactiōnis impo-  
ni, juxta dicta Assertionis preced. hoc tamen diuer-  
sum valde est, vbi facultas supponitur, & de per-  
fectione operis rationabiliter præsumitur; fuit  
enim ad illud petitâ facultas, ad inchoandum  
scilicet & perficiendum, pro quo & concessa: &  
quia tanti temporis contributio sufficiens vīsa est

*Cessat tri-  
buti obli-  
gatio non  
prestante  
Principiis  
applicari.*

*Circa tem-  
pus que fie-  
ri possit ex-  
tentio.*

#### H 3

tanti,

tanti, & non longioris est facta concessio: unde si illud sufficiens non fuit, omne, quod necessarium fuerit, videtur concessisse.

*Nō admittenda circa aduersum effusum in Proregibus, quicquid de Regibus sūt.*

*Nō est vera utilitas, cū ad splendorem tantum aliquā conſciuntur.*

*Affertos, obligari predictos ad restitu- tionem.*

104 Quando verò ideo non est absolutum opus, aut satisfactum obligationi, quia Prorex collectam pecuniam in alia conuerit opera, diversa prorsus ratio est. Si illa sint vtilia Reipublicae: licet enim talia sint, supra facultatem illius est, Regibus quidem id conceditur, quia pro talibus possent exactiōē imponere, & ita parū interest, quod iam imposta vntantur, pro suā amplitudine potestatis. Prorex autem non ita est potens; quia etiam pro vtilibus nequit præstatio-nes impotere: unde cūm viuis concessionem ad aliud transfert, & legis & justitiæ præuaricator existit. Et multò id potius quando opera talia sunt, vt Respublica non posset ad ea efficienda compelli, quia inutilia, vel etiam aliquo modo vtilia, quia ad aliquem splendorem conferunt, sine eo tamen viui conuenienter & decenter posse: neque enim pulchra omnia ornamenta, quæ alibi magnificientiæ Principum elaborata visuntur, cui libet sunt Respublicæ conquirenda: pro quo est quamplurimum scriptorum doctrina apud P. Sancium *supr. Cap. 55. num. 15.* Exemplo sit Lmani fori questuofissinus fons, qualem nec Regis Curia, nec vlla habet Hispaniæ ciuitas, vel si vñquam habitura, Assisi onere pro obligatione alii iustitiae concessio, perfectus: de quo tamen dici cum Poëta posse: *Sed nūn non erat his opus,* & sic de aliis. Quo euenu cum satisfactum obli- gationi justitiae non sit, videtur posse dicta ex- actio continuari, ob rationem dictam: quod tamē agere peragitur, ad varios effectus exactiōē huius superabundante copiā pro gubernantium arbitrio distraet. Sed si peccati grauitas (quæ vñnam non talis in contingentia facti) eos non reddit in re tantā pertuigiles, quod sequitur au- diatur.

105 Dico quintò. Proreges tenentur ad re-stitutionem eorum, quæ ex actionibus aut sine licentiā impositis, aut non seruato licentiā tenore iuxta superiorē explicationem, insumpserint. Id constat. Prīmū ex communi doctrinā Theolo- gorum, quī Reges, ex quibus ad Proreges est il- latio irrefragabilis, ad restitutionem teneri asse- runt in casib⁹ *num. 103.* declaratis. Sunt autem omnes citati, quibus addendi P. Turrianus de Iu- flitia Disput. 46. Dub. 4. & Bonacina *supr. num. 9.* & licet aliqui apud P. Hurradum tantum obli- gent ad restitutionem dannorum, eorum hic lo- cum sententia non habet: tum quia sine funda- mento loquuntur, vt citati aduentunt, & ratio est manifesta, quia pro auertendis dannis pretium illud acceperunt: ergo sicut ad damnā tenentur, quia non impleuerunt pactum, ita & ad pretium restituendum: consequētia patet; quia auersio dannorum est vnicus titulus acceptiōē, qui cessat, & ita iniqua est retentio. Tum etiā quia de exactiōē agunt pro dannis auertendis im- positi: in nostro autem casu damnā alia non sunt, quā illa, quæ ex ipsa iniquā pecunia extorsione proueniunt: cūm detur ad opera, ex quorum de- fectu nullum considerabile damnum Respublica pateretur. Præterquā quid in casu dicto aut damnā sunt, aut non. Si primum: ergo saltem ex eo titulo restituenda pecunia, quia illa æqui-

ualens est auersioni dannorum, quæ tamen re- ipsa auersa non sunt. Si secundum: ergo nullus est titulus ad illam retinendam, & ita absque dubio redhibenda.

106 Deinde probatur de Proregibus spe- cialiter; quia omni iure ad exactiones carent: *Proregibus speciali.* ergo sine licentiā exigentes contra dominorum rei accepta voluntatem extorquent, qui inuiti præstant, & meritò inuiti. Ex quo lequitur restituendi obligatio; quia est furturn; contrēatio scilicet rei alienæ inuiti domino. Vel si ex eo quod domino non sit occulta surreptio, velis esse rapinam, id certè pēius, quia rapina maius pecca- tum est, vt docet Diuus Thomas 2.2. *quæst. 66. art. 9.* pro quo & videri potest P. Lessius Lib. 2. Cap. 12. num. 8. Si autem licentiā limites fuerint violati, eadem est ratio; quia pro eo, quod sine licentiā fit, valde per accidens se habet, quod pro alio illa præcesserit, aut fuerit comitata. Quemadmodum si quis licentiam tribunt alicui ut ex arcā eius decem sibi regales extrahat; si viginti extraxerit, quoad illum excessum licentia pro decem data nihil iuuat, unde est obligatio restitu- tionis penitus innegabilis.

107 Dices, saltem cūm pecunia in eum vsum est conuerſa, pro quo imponi iustè exactio pos- ser, non videri obligationem restitutionis vrgere, sicut de Regibus dictum, *num. 103.* Sed certè ne- que in hoc casu videtur obligatio cessare ob rationem præcedentem: quia pecunia illa etiam per rapinam extorta, inuitis inquam dominis, ad quos de opere tali notitia nulla peruenit, & de quo forsitan neque ipse imponens tunc temporis cogitabat, si autem postea & cogitauit, & alios cogitare fecit; adhuc etiā iustè illi habentur inuiti; quia nullus vult se contra id, quod leges præcipiunt, onerari. Nihilominus probabilit̄ dicitur potest teneri quidem ad restitutionem, quod vi- detur certum: sed restitutionem ipso opere sub- rogato fieri posse: valde enim esset difficile fin- gulis restitutionem fieri, & ita opere illo in com- munem vtilitatem exhibito conuenienter illam fieri. Sic enim censem multi obligatum ad restituendū communī, si restitutio commode fieri nequeat singularibus, debere in vsum eiusdem fieri ad Rectoris arbitrium. Pro quo Nauarra Lib. 4. Cap. 2. num. 66. alios adducens, de quo & nos inferius *titulo 6. num. 18.* Quando ergo Re- ctor ipse est qui debet, suo potest id arbitrio fa- cere, ratione & consilio regulato. Et talis est Prorex in nostro casu, in quo præter rationem dictam est alia adducta ex eo quod exactio ea- dem pro opere subrogato præsumi poterat fa- cienda.

### s. III.

*Quoad Ecclesiasticos quid in permissa ex- actione cauendum. Vbi de speciali qua- dum penitus reprobanda.*

108 ID cauendum certè, ne eādem compre- hendantur: alia contra immunitatem *Excommu- nications contra exi-* peccabitur, & in excommunicationem Bullæ Cœnæ, & quidem duplē, incurrerunt: in 15. *gentes ab Ecclesi- stici.* scilicet, & 18. In illa enim prohibet Pontifex statuta,

### Quid Proreges Indici possint circa gabellorum impositionem 91

statuta, pragmáticas, & quælibet alia decreta contra libertatem Ecclesiasticam: in ista magis in speciali de gabellarum impositione disponit. Pro quo & multa alia Pontificia decreta in Iure extant, & extra illud, vt hac nihil testatus esse possit veritate. Quā suppositā, semper in regnis Indiarum, vt pote Catholico Regi subiecti sicut vero Domino, id caueri cura fuit, ne quidquam prædictæ immunitati aduersum statueretur. Sed non equidem sic feliciter semper cautela proceſſit, vt ex consulentiū minore aut pietate, aut peritū, lapsus aliquis non fuerit deprehensus. Et talis fuit ille, cūm pro muro Cullaco extruendo, qui magni esse ad securitatem totius Peruviani regni momenti videbatur, (licet in hoc contra- rie non defuerint opiniones) supra sacharum est. Sīsa constituta: cuius prouentus ad Ecclesiasticos præsertim pertinebat. Et ne illi viderentur grauari, res ita disposita est, vt supra ordinarium premium arrobæ viginti quinque libras habentis taxa quatuor regalium adderetur. Cūmque ex- actor non posset omnibus emptoribus adefesse, statutum est, vt apud Ecclesiasticos auctarium illud pretij seruaretur, & ipsi collectam quantitatē tunc redderent, cūm à ministris ad hoc depuratis peteretur: vel certè si ipsi vellent labo- rem minutioris istius numerationis euitare, ad certam summam soluendam partibus benè vīam tenerentur.

109 In quo quidem, vt dixi, lapsus est com- missus in Christianā Republiçā minimè tolerandus. Nam in primis venditio talis non esset Ecclesiasticus libera sicut anteā, cūm onus illi latissimū adderetur; recipiendi scilicet pretij auctarium, seruandi, rationem reddendi dati & accepti, cum bona exsuffiationis periculo, ob non seruatæ fidelitatis suspicionem: numerandi deinde, quod soluendum erat, exactiore petente, cum testimonij receptionis. Est autem regula receptissima in hac materiā, tunc lēdi li- bertatem, quando Ecclesiastica personæ non li- cer id, quod anteā licebat, vel naturæ jure, vel ex prærogatiū immunitatis. Quod bene inter alios obseruant Riccius in *Praxi Tomo 3. Refol. 207. num. 8.* Laderehius *Consilio 103. à num. 8. usque ad 15.* Mandellus Lib. 1. *Consilio 8. num. 3.* & P. Filliūs *Tomo 1. Tract. 16. num. 271.* Ex quo multæ decidi solent quæstiones.

110 Deinde. Ex tali grauamine valde læ- derentur Ecclesiastici: aucto enim pretio pau- ciores essent, qui ad emendum accederent; cūm confit homines ab emendo retrahi aucto rerum pretio: & vel ab emptione abstineret, aut minori multò esse cōtentos. Item, austriores paterentur emptores, auaros illos, & crudeles existimantes, qui, cūm videant Rem publicam tali onere gra- uari, nihil tamen de ordinario pretio remittunt. Præterea. Grauamen hoc Ecclesiasticos præser- tim attingeret, cūm illi, vt dixi, eo prouentus genere alijs antecellant. Quæ omnia satis indicant ex impositione prædicta Ecclesiasticam lædi libertatem. Neque enim priuilegium hoc tan- tū est, vt non impediant Ecclesiastici tale a- liquid facere, quod alia erat jure licitum, sed etiam ne impediantur quoad faciendi modum: si enim circa modum impediuntur, non plena jam & totalis libertas est. Quælibet ergo molestia il-

lis illata priuilegio est immunitatis contraria. Et quemadmodum qui alterius jurisdictionis est in ciuili foro, nullam potest molestiam per judi- cem aut dominum diuersum pati: ita, & multò magis in Ecclesiasticis, qui per superius jus à laicali sunt penitus exempti potestate. Hinc est doctrina communis, de quā P. Filliūs *supr. num. 270. 5. quartū sunt*, juxta quam contra li- bertatem Ecclesiasticam est id, per quod Ecclesiastici reddiuntur timidores, & seculares auda- ciores: vt quod percutientes Clericos puniantur in decem aureis; qui verò laicos, in viginti. Nulla enim illis actio tali statuto præcipitur, nulla prohibetur: quia tamen gratia irrogatur moleſtia, cō quod majori curā se tueri debeant, ex eo libertatis est violatio manifesta. Eo enim sceluso statuto, ea illis sufficiebat cura, quæ reli- quis. Et tamen poterat statuti talis prætextus a- liquis inueniri; quod scilicet Ecclesiastici arma habeant spiritualia potencia, quibus se defendant; Censuras inquam: & quod ex eorum per- cussione non possint damañā timeri, quæ ex alio- rum; quia maiorem debent habere patientiam. Et sic alia cumulari possent: quibus tamen sibi iniqüitas mentitur. Videndum etiam Decius in *Cap. Ecclesia san. MARIE.*

111 Nec in præfata dispositionis patroci- nium afferri potest quorūdam sententia, qui apud Dianam Parte 1. *Tract. 2. Refol. 49.* affir- mant talē gabella modum esse licitum: quod ex Societatis Autoribus etiam tenent apud eū- dem P. Molina *Disput. 663. num. 5. in fine. P. Henriquez Lib. 10. Cap. 25. num. 6. in Glossa.* Et probabile censem Cardinalis Lugo *Disput. 36. de Injustia num. 144.* non inquam afferri potest: quia in primis P. Molina tantū ait juxta leges Hispaniæ ex iis, quæ Clericis venduntur, deberi alcabolam: quod est alterius quæstionis. P. Henriquez nihil habet *locū citato* & quāmis n. 5. de Sīsa loquatur, casum præsentem, vt cōmuniceret à Doctoribus tractatur, non tangit. Probabilitas autem quam Cardinalis Lugo sic generaliter ag- noscit, non videtur eius consonare doctrinā: cum ipse num. 140. vt certum statuat contra li- bertatem Ecclesiasticam esse, quando aucto re- rum pretio, tale augmentum non manet apud venditorem, sed per modum gabellæ soluitur. Dicere enim augmentum tale in ipsa venditione solutum non esse partem pretij, sed aliquid pre- tio superadditum, fallacia est manifesta, & verba legis amplectendo, contra legis niti voluntatē. Si enim Clerici eodem grauantur modo, sic aut aliter tribuendo, quod interest nominum discri- men, in re præsertim adeo scrupulis obnoxia, & pro qua diligenter Ecclesiastici auctoritas excu- bat, sciens in Dei populum ex eius violatione in- fandam malorum colluitem irrupisse? Precium quidem currens talis rei venialis sita supposita, vt quatuor argenteorum est: & eadem est rerum copia, ac ementum frequentia. Non potest equi- dem rebus sic se habentibus augeri pretium: quod si augatur vñque ad sex, & duo addit ab Ecclesiastico venditore petantur, libertas dicitur Ecclesiastica violari, quia iniuste exigitur, quod manere apud venditorem debet. Quod tamen non sic videtur: quia cūm augmentum illud supra pretij iustitiam sit, non habet Ecclesiasticus